



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. xlv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

presbyteris dedimus, & vnicuique ius proprium habere statuimus, ita videlicet, ut nullus alterius parochiæ terminos, aut ius inuadat, sed vnusquisque suis terminis sit contentus, & taliter Ecclesiam & plebem sibi commissam custodiat, ut ante tribunal aeterni iudicis ex omnibus sibi commissis rationem reddat, & non iudicium, sed gloriam pro suis actibus accipiat. Hanc quoque normam, charissime, te, & omnes episcopos sequi cõuenit, & quod tibi scribitur, omnibus quibuscunq; potueris notum facias, ut non specialis, sed generalis fiat ista præceptio.

De eadem re. Cap. XLIIII.

VNVSQVISQVE presbyter Ecclesia vna ad quã ordinatus est, contentus sit, & nullus in duabus Ecclesijs ministrare præsumat. *Ex cõcil. Remensi, cap. 2.*

De eadem re. Cap. XLV.

Sicut in vnaquaque Ecclesia presbyter debet esse, ita ipsa Ecclesia quæ sponsa, vel vxor eius dicitur, non potest diuidi inter plures presbyteros, sed vnum tantummodo habebit sacerdotem, qui eam castè & synceriter regat. Vnde interdicimus, ut nullus præsumat Ecclesiam inter duos vel plures diuidere: quia Ecclesia Christi vxor & sponsa debet esse non scortum, sicut Calistus papa testatur. *Ex eodẽ concil. ca. 8.*

Ut vnusquisque presbyter vna Ecclesia contentus sit. Cap. XLVI.

STATVTVM est, ut vnaquæque Ecclesia suũ presbyterum habeat, vbi id fieri facultas prouidente episcopo permiserit. *Ex eodẽ, cap. 11.*

De eadem re. Cap. XLVII.

Sicut enim episcopus non plus potest habere quã vnã civitatem, & vir vnã vxorem, ita presbyter vnã tantum Ecclesiam. Itaque nullus presbyter plures præsumat habere Ecclesias, si de statu suo gaudere desiderat. *Ex cõcil. Hãnetẽsi, cap. 3.*

De eadem re. Cap. XLVIII.

Siquis de ordine sacerdotali contẽptu minoris Ecclesiæ ambitiosè & improbè ad potiorem aspirauerit, canonica erga eũ definitio cõseruetur, hoc est, ut vrisq; carcat. *Ex cõcil. Meldẽsi, cap. 10.*